

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen

Case, John

Francofurtum, 1597

VD16 C 1242

Cap. VI. - An concordia virtus? [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)

Bisariam, vel ut | *A benè, & sic benevolentia aliquo*
nomen habet | *modo differt ab amicitia.*

Opp.

Omnia amicitia est benevolentia: ergo aliqua benevolentia est amicitia: tenet consequentia in conuersione per accidens.

Resp.

Conceditur cōsequens & consequentia. Nam primo modo accepta benevolentia eadem re ipsa est cum amicitia, quamuis paulò latius pateat.

CAP. VI.

An concordia sit virtus? & an potius in alitione quam in opinione consistat?

SUPERSEDENDVM est minùs vtilibus & fructuosis veterum digressionibus in hoc tractatu de concordia, causam iam solum expendere mihi currenti licet. Perspicuum est igitur concordiam esse amicorum vinculū, quo ad idē sentiendū efficiendūq; in studio utilis aut honesti pertrahūtur. Errant ergo q concordiam idem penitus cum cōsensu in opinione esse existimant: est. n. consensus sepe inter ignotos, at concordia tātum ad notos pertinet. Præterea non sunt cōcordes secundū philosophū qui de re quali-

Concordia quid.

Concordia differt à consensu.

Qq 2 bet

bet idē sentiunt: vt puta de motu coelestis de motu terræ: Siquidem talis consensus nihil aut parum ad amicitia spectat: sed illi propriè & per se concordēs dicuntur, qui circa ea conspirant, quæ in actionem cadunt, quiq; id agunt & exsequuntur, de quo in consultatione cōsenserunt, veluti, vt utar verbis Aristot: Ciuitates tū demum concordēs sunt, cum placet omnibus magistratus esse diligendos, aut in eūdam cum Lacedæmoniis societatem, aut Pittacum vnum de septem sapientibus imperatorem esse eligendum. Porrò cōcordare non est semper idem velle, aut idem intelligere. Hoc probat philosophus ab exemplo. Nam sæpe tã populus quàm optimates eidem volūt præesse ciuitati, vnde potius seditio quàm cōcordia nascitur. Postremò concordia inter flagitiosos & sceleratos non viget: quippe illi Euripum in leuitate morum imitantur. Ex his constat cōcordiam esse quasi annexum & adiunctum amicitia; adeoq; in actione potius quàm in opinione hominum consistere & manere: sed plura de hac re proxima distinctione vide.

Concordare non est semper idem velle aut intelligere.

Scelerati nequeunt esse concordēs.

Distin

Distinctio prima & secunda questionis.

<p>Cōcordia sumitur, vel</p>	<p>Proprie, idq; bifariam, vel ut est</p>	<p>Fuse, pro quocunq; cōsensu hominum, siue in actione siue in cōtemplatione rerum, & sic non est virtus sed affectio quædam, quæ in vnanimi opinione cernitur.</p>
		<p>Affectus cōsentiendi in rebus agēdis, & sic est, vt antea diximus, proprium amicitia. Habitus mouens & inclinans homines ad idē sentiēdum idemq; faciēdum in studio vtilis aut honesti: & sic pro virtute habetur, quia malis non conuenit.</p>

Opp.

Concordia definitur mutuus hominum cōsensus ad bona opera exercēda: sed talis consensus est effectus virtutis nempe amicitia: ergo non est ipsa virtus.

Resp.

<p>Consensus accipitur, vel pro</p>	<p>Actu cōsentiendi, & sic est effectus virtutis.</p>
	<p>Habitu, & sic est virtus, vt antea docetur.</p>

Opp. contra secundam questionem.

Consensus opinionum in consultatione magnā saepe amicitiam gignit: ergo concordia qua est comes amicitia in opinione aliquando cernitur.

Qq 3 Resp.

Resp.

Non negatur quin sit concordia in opinione, si communiter sumatur; sed proprie sumpta in rebus agendū potius versatur.

CAP. VII.

An benefici vehementius diligant quam diligantur?

An beneficentia rectè desiniatur?

TRITVM est perire quod facis ingrato, si verò bonis quid benefiat certè non perit. Qui benè merenti non pendit gratiam, illum (quod satis est) ingratum nomino. Vitam tibi Nero tua mater dedit, cur vitam tollis? cultum animi dedit præceptor, cur occidis? humanum quidem non est si accepto beneficio mens & manus obrigescant: canes, tigres, omnesq; immanes & truculentæ ferae agnoscunt beneficium, solus ingratus viperino prognatus semine nō agnoscit patronum. Sed hæc obiter: nam de beneficiis, nō de ingratiss mouetur questio. Petit enim philosoph^o, An bene merentes magis diligant quam redamantur. Affirmat quidem eos magis diligere.

Hanc